

tus ob uxoricidii patrationem clandestinō loco reposuit, maritum suum
licitē transfodere posuit? Sunt nonnulli haud inferioris subsellii
Moralistæ affirmativam afferentes. Excusari mulierem, quod
non ex suspicione, sed certō maritum sibi mortem decreuisse sci-
verit. Præclusa insuper ipsi omni ad mortis evasione via præ-
ventionis videtur excusare licentiam. Præcipue quod unicuique
id efficere permittat jus naturale, quod urgens alterius nequitia
ut medium ad propriæ vitæ conservationem ipsi subministrat
necessarium.

XV. At verò nolim ego uxorem maritum eō prætextu in-
terficiēt excusabilem judicare. Sive enim sciverit certō uxori
institutum Mariti impium, sive ignoraverit, neutro defenden-
da modo. Dubitanti enim aut suspicanti mariti intentionem u-
xori non licere talem moliri præventionem apud omnes in con-
fesso est. De sciente certō improbum mariti decretum uxore dif-
ficilius ferri potest judicium. Quicquid sit, adducendus proban-
di modus tām firmiter insidianti propositum esse, ut pænitere
nequeat. Sed illum ambulatoria humanæ voluntatis mutatio
vix admissura. Et positâ firmâ illius certitudinis probatione; al-
lia tamen saluti medendi adsunt remedia. Poterit uxor denun-
ciare Magistratui periculum in quo ipsa constituta. Frustranea
itaque & iniqua meritò eo respectu judicanda præventio. Sola
necessitas omnia alia excludit medendi remedia. Et quamvis
aperiendi propositum Mariti ipsi Magistratui via uxori sit præ-
cisa, nondum tamen effugiendi præclusa ratio. Sed etsi nec fugâ
sibi consulere possit, commendare tamen totius rei eventum
Deo satius erit. Potest is tanquam καρδιογνώσης mutare inten-
tionem mariti. Potest mirabili modo impedire, quò minus pro-
positum deducere in effectum queat maritus. Et huic sententiæ
ut calculum addiderim, partim prædictæ me impulerunt ratio-
nes. partim subtilissimi Grotii lib. 2. c. i. n. 5. me movit auctoritas:
*Multum falluntur, inquit, & fallunt qui metum qualemcumque ad
jus occupandæ interfectionis admittunt. Et paulò post: Quid si quis
vim non jam presentem intentet, sed conjurasse & insidiari compertus
sit, si venenum struere, si falsam accusationem, falsum testimonium,
iniquum judicium moliri, hunc nego jure posse interfici: si aut aliter
evadet*